

ac moderni Philosophi sentiant. Addit verba Christi etiam sic exponi posse, quasi Christus de semetipso locutus dixisset: nisi quis ex aqua & spiritu renatus fuerit, h. e. nisi Messias incarnatus fuerit, nemo in regnum Dei intrare poterit, vel potius: nisi Messias incarnatus fuerit, thronum & regnum Davidis accipere non poterit. Sed quia Christus paulo post v. 7. ait: *oportet vos regenerari*, posterior expositio iterum deseritur, & prior, quæ verba Christi de carnali generatione accipit, retinetur. Quæ etsi ex hominibus diabolos incarnatos faciat, Sandio tamen haud displicuit. Nam cum in paradoxis suis Anonymo cuidam hanc verborum Christi interpretationem tribuisset, postea in tractatu de origine animæ o) eandem tanquam propriam adoptavit.

n) pag. 189. o) pag. 97.

§. XVIII.

E nostratibus Johannes Brentius in exegesi ad evangelium Johannis, p) quam nonnulli Zvinglianismi suspicione onerarunt, nativitati primæ ex terra, tanquam crassiore elemento, secundam nativitatem ex superioribus & subtilioribus elementis, qualia sunt aqua & spiritus seu aer opponi arbitratur. Nam de mundi elementis, quæ sunt terra, aqua & aer hic agi ex sequentibus Christi verbis, cum ait: *Spiritus, id est, aer, ubi vult, spirat*, elucescere putat, & ingenium hujus loci exigere ait, ut prima facie nativitatem ex elementis factam intelligamus, quanquam sub metaphora horum vocabulorum longe aliud significetur. Ita igitur verba Christi interpretatur, quasi dixisset: antea natus es ex carne vel terra, quæ nativitas ad justitiam nihil tibi prodest sed obest, proinde ut justificeris, oportet ut ex aliis subtilioribus elementis ex aqua scilicet & aere nascaris. Nisi enim quis ex aqua & spiritu seu aere renatus fuerit, non potest introire in regnum Dei, h. e. nemo potest introire in regnum Dei & justificari, nisi fuerit novus homo factus e mortificatione per aquam significata, & e vivifi-  
C
catione